



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 58. Thomæ Stapletonii decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

haustis lenta tabe conficiebatur, ac die Sæcul. XVI.
A.C. 1598.
vigesima nona Junii annos natus septua-
ginta & unum Antverpiæ vivis ereptus
est, sepultusque in celebri divi Michaelis
Præmonstratensium Abbatia, ubi Ju-
stus Lipsius arcta amicitia Ortelio con-
junctus defuncto honorifica inscriptione
funebri parentabat.

§. LVIII.

Thomæ Stapletoni decessus.

Inter celebriores Controversiarum Scri- Pitfeus de
Ill. Angl.
Thuan. l. c.
Mencken. &
Halin in
Lexic.
ptores, qui hoc sæculo floruerunt, Tho-
mas Stapletonus ex illustrissima Anglo-
rum prosapia Hemfeldæ Suffexiæ Co-
mitatus oppido natus, qui evoluto stu-
diorum curriculo Latinæ, Græcæ, &
Hebraicæ linguæ peritissimus ingenti
semper ardore pro tuenda Religione Ca-
tholica flagrabat, atque in Theologicis
disciplinis versatissimus, & Doctor sane
egregius sui ævi hæreticos validissime
impugnabat, postea creatus Cicestræ
Canonicus: cum autem Elisabetha An-
gliæ Regina Catholicos, & præcipue
Sacerdotes dire vexaret, eosque regno
excedere juberet, ipse etiam Stapleto-
nus relicta patria sua Parisios, & de-
mum Romam se contulit, inde vero re-
versus, ac Theologica laurea decoratus,
primo Duaci, postea Lovanii Theologiæ

Sæcul. XVI. Professor, ac regius sacrarum literarum
 A. C. 1598. Interpres, necnon Canonicus ad divum
 Petrum a Philippo II, Hispaniarum Re-
 ge nominabatur, ubi crebras contra
 Calvinistas, præcipue vero contra W-
 thekerum controversias habebat, eorum-
 que errores editis doctissimis lucubrati-
 onibus refellebat, quas inter celeberrimas
 sunt dissertationes de causa prævalentium
 hæresum, de officio viri in
 medios hæreticos agentis, de principiis
 fidei, & de successione Ecclesiæ, necnon
 de justificatione, præter apologiam recentioris
 Ecclesiæ, & speculum pravitate hæreticæ,
 Celebrantur quoque
 ejus antidota evangelica, & Apostolica
 anno millesimo quingentesimo nonagesimo
 quinto Antverpiæ excusa, necnon ejusdem
 Scriptoris promptuarium Morale, & Catholicum:
 insuper plura adhuc alia varii argumenti
 opuscula vulgavit, quæ omnia aliquot
 tomis Lutetiæ Parisiorum junctim edita
 profant. Harum lucubrationum fama
 deo celebrem sese reddebat Thomas, ut
 a Clemente VIII. Romam evocaretur,
 purpura abs dubio honorandus: at-
 tamen profectam ætatem obtendens hanc
 dignitatem respuebat, inde vero Lovanium
 reversus *Manuale peccatorum* itidem
 Antverpiæ anno millesimo quingentesimo
 nonagesimo octavo typis edit,

dit, conscripsitque libros duos de magnitudine Romanæ Ecclesiæ, quod opus postremus fuit celebris hujus Viri partus, qui tanquam posthumus nonnisi anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono in lucem prodiit post ipsius mortem, quæ hoc anno die duodecima Octobris Lovanii contigit. Vixerat annos septuaginta, & unum, sepultusque fuit in Ecclesia divi Petri, ubi Canonicatum possederat.

Sæcul.XVI.
A.C.1598.

§. LIX.

Mors plurium Scriptorum ex Ordine PP. Prædicatorum.

Currente hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo plures ex Ordine S. Dominici Doctores, qui Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, vivis erepti leguntur, quos inter primus erat Alphonsus de Catrera Hispanus Cordubæ natus, Concionator egregius, atque in Universitate Ossuncasi sacræ Theologiæ Professor, qui Philippo II., & III. ejus Filio a Concionibus per quatuor annos erat, præmatura tamen morte vix quinquagenarius die vigesima Novembris vivis ereptus. Scripsit Hispano idiomate perutiles considerationes in Evangelia præter sermones in honorem Philippi II, & tractatum de scrupulis. Alter erat Joannes Toutre

Eckard de Script. Præd.to.2.

C c 4 Gallus